

LVNÆ DIE 14 M. FEBRVARII A. 2011

A.d. XVI Kal. Martias a. MMXI

I 6 0

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128

AD LECTOREM

DE CERTITVDINVM FINE

Non desunt inter homines intelligentes doctosque, qui videantur nondum plane mensuravisse quantum decursu vicesimi sæculi visio mundi mutata sit.

Mirum in modum Veteris Testamenti Genesis usque ad finem undevicesimi sæculi est firmum fundamentum notitiæ originum. In proœmio, exempli gratia, libri scholaris Historiæ Antiquæ anno 1901 editi,¹ quo pater meus circa annum 1905 usus est, leguntur hæc verba significantia : « Hebræorum historiæ locum damus, quem iure meretur, primum scilicet. Difficile videtur mundi historiam incohare aliter quam narratione Creationis vitæque primorum hominum. Creationis autem narratio modo probabili adhuc sola Genesi præbetur. »

Medio undevicesimo sæculo fiunt prima eventa, quæ hanc certitudinem labefacere incipiunt. In Mesopotamia in vestigiis regnorum multo antiquiorum quam Hebræorum invenitur magna copia textuum signis cuneiformibus scriptorum. Ei, qui ex his signis secreta eliciunt textusque intellegere valent, valde mirantur quod Veteris Testamenti narrationes iam apparent apud populos multo antiquiores quam Hebræi.

In eodem patris libro legitur hoc : « Veteres historici, Herodotus, Xenophon, Diodorus Siculus, nimis sæpe mirum in modum narrationes maxime incredibiles indulgenter acceperunt. » Ecce idem dici potest de Genesi !

Medio undevicesimo sæculo in Germanica valle *Neanderthal* fortuito inveniuntur ossa singularia. Manifesto non sunt hominis ossa communia, sed qualia sunt ? Compluribus in locis eiusdem generis ossa inveniuntur, sed perdifficile erit agnoscere ea pertinere ad aliud hominum genus vetustius extinctumque, cum hoc cum Genesi non congruat.

In eodem patris libro legitur etiam : « Supra diximus temerarium esse tempus etiam plus minusve exactum statuere de mundi creatione. Idem non est de hominis creatione ; licet eam statuere circa annum 8.000 a.Ch.n. »

Usque ad medium vicesimum sæculum latet vitæ mechanismus. Anno 1948, cum ipse medicinæ studia incohem, meus zoologiæ professor, ceterum optimus, adhuc profitetur vitam esse « proprietatem suspensionum colloidalium », quod re vera nihil significat, nisi meram ignorantiam.²

Ab anno 1877, quo Walther Fleming primus in nucleo monstrat cellulæ bacula, quæ chromosomata vocat (i.e. Græce corpora colorata, quia certæ colorantis substantiæ colorem capiunt) ad annum 1953, quo Rosalind Elsie Franklin, James Watson et Francis Crick

monstrant chromosomatum innumerabiles proteino-rum moleculas in duplici helice disponi, ingentes progressus facti sunt in intellegentia vitæ processuum ; et hoc tantum est initium inventorum magis magisque mirabilium, inter quæ codex geneticus (1966) et mutationes geneticæ artificiose inductæ (ab anno 1970).

A tempore Galilei et Newtoni physicæ « leges Naturæ » detectæ sunt formulisque mathematicis expressæ ; etiam mechanica quantica et relativitate vicesimo sæculo additis, hæ formulæ valent ad præteritum et futurum æque describendum ; ex eis trahitur notio determinismi. Theologia et scientia septimo decimo sæculo inter se bene consentiunt ; Deus in orbe christiano habetur ut omnipotens Naturæ legumlator. Leibniz, verbi gratia, scribit oculos æque acutos ac eos Dei in Universo legere posse sequentiam rerum « quæ sint, quæ fuerint, quæ mox futura trahantur ». ³ « Sagitta temporis », ⁴ i.e. tempus semper in eandem directionem manans, quæ sensui communi patet, negatur his formulis. Tunc conceptio Naturæ inertis, solum legibus deterministis submissæ, propria est Occidentis et risu est Sinensibus mandarinis, quos Iesuitæ docent. ⁵

A longinquo tempore, quo homines cogitare cœperunt cælum spectando, iidem constitutos immutabilesque siderum motus valde admirati sunt. Harmonia cælestis diu laudata est : anno 1660, ut exemplum afferam, Andreas Cellarius magnum pulchrumque librum edidit c.t. *Atlas cælestis seu Harmonia macrocosmica*.

Undevicesimo sæculo Simon Laplace, maximus mathematicus, in libro c.t. *De mechanica cælesti*⁶ formam mathematicam dat motibus corporum cælestium. Ille fautor est determinismi : cum nullus effectus fiat sine causa, ait, præsens Universi status simul est effectus eius prioris status et causa posterioris. Quod illustratur allegoria « dæmonis Laplacii » : si certo temporis momento omnes Naturæ vires omniumque eius particularum positionem noscere posset, ei nihil esset incertum ; et futurum et præteritum ei æque paterent. Ab eo tempore Scientia putat se omnia secreta elicere posse ac magis magisque fit superba. Cum Simon Laplace opus suum Napoleoni præsentaret, is interrogavit cur in hoc opere ne nomen quidem Dei apparet. Respondit se diva hypothesi non egere ; qui enim Deo uteretur, omnia arbitrario explicare posse, nihil vero prædicere.

Cælum nunc novis oculis spectamus. Sidera hærentia Antiquorum fiunt Universus incommensurabilis, ubi sidera maxima vehementia nascuntur et pereunt et ubi nostrum systema solare minus apparet quam pulveris granum. Etiam motus corporum cælestium a

Terra proximorum acutioribus instrumentis observati non sunt tam regulares quam antea putabatur. At, res inexpectata : medio vicesimo sæculo demonstratur Universum historiam habere ! Ortum est ante 13,7 circiter miliarda annorum a puncto (nemo scit quid sit, ne physici quidem) maximæ temperaturæ unde expandi, fingi et frigidius fieri non desinit ; hoc est maximum exemplum sagittæ tempore.

Scrutando materiæ particulas magis magisque tenuas (mundum atomicum et subatomicum), nonnulli physici Europæi et Americani ineunte vicesimo sæculo novam theoriam « quanticam » vocatam creant phænomenis subatomicis aptam, sed a physica tradita omnino differentem et a sensu communi vere alienam. Tunc primum physici occurrunt alicui insuperabili incertitudini, cum anno 1927 Varnerius Heisenberg suum « principium incertitudinis » divulgat ; ad quod simplicissime exponendum dicamus etiam Laplacium dæmonem non posse simul noscere et positionem et velocitatem alicuius minimæ particulæ.

Occidentalis autem mens « dilemmate determinismi »⁷ perturbatur : estne futurum iam constitutum an in perpetua creatione ? Quomodo coniungere possumus futurum constitutum secundum determinismum cum nostra facultate eligendi inter complures vias ? Illudimur cum credimus de libertate nostra ? Einstein sæpe dixit « tempus esse animi errorem » et scripsit hæc : « Si ens homine superius et perfectiore intelligentia præditum hominem eiusque opera spectaret, subrideret quod ille homo putat se agere secundum propriam liberamque voluntatem. Hæc est persuasio mea, quamquam scio eam plane demonstrari non posse ».⁸ Multi physici adhuc profitentur nullam esse temporis sagittam in fundamentali Naturæ descriptione. Stephen Hawking, Anglus physicus et cosmologus, in opere, c.t. *Brevis temporis historia*,⁹ pergit determinismum universalem profiteri ; in eius cosmologia tantum geometrica tamen eget sagitta temporis ad includendam vitam intellegendam ; quod vir doctus explicat principio « anthropico » æque arbitrario ac est Epicuri clinamen.

Notandum est scientiam usque medium vicesimum sæculum solum systemata in æquilibrio descripsisse, consulto autem systemata non in æquilibrio neglexisse. His novissimis decenniis nova physicæ provincia orta est, quæ spectat ad systemata non in æquilibrio ut structuras dissipativas,¹⁰ ubi tempus necessario unam tantum directionem habet. Homo verbi gratia est structura dissipativa ; eius structura fingi et crescere non potest absque externæ energiæ consumptione ; eius æquilibrium est instabile : ortum et finem habet modo

irreversibili ; sequitur ergo sagittam temporis.

Necessaria facta est nova formulatio fundamentarium physicæ legum, quæ nitebantur analogia futuri et præteriti et per plenam notitiam ducebant ad certitudinem. Si in leges inducitur instabilitas, tunc eadem ad certitudinem iam non ducunt, sed ad probabilitates ; nihil prædici potest, nihil certi est in futuro ; creatio non est uno temporis momento facta, sed fieri non desinit. Hoc dilucide simpliciterque explicat Ilya Prigogine, Belga physicus et chemista, qui anno 1977 Præmio Nobeliano chemiæ honestatus est, in libro c.t. *Finis certitudinum*.¹¹ ☞

Gaius LICOPPE

-
1. Abbé Gagnol, *Cours d'histoire. Histoire Ancienne*, Paris, Ch. Poussielgue, 1901.
 2. « Sensus colloidalis » in scientiis naturalibus est systema in quo particulæ duorum ad ducentorum nanometrorum manent suspensæ et regulariter dispersæ in aliquo liquore. Exemplum ab omnibus notum præbetur embammate magonico (Fr. *mayonnaise*), ubi minimæ olei guttulæ dispersæ et suspensæ manent in aqua. Alterum exemplum est lac, ubi minimi globuli adipis in aqua manent dispersi.
 3. G.F. Leibniz, *Nouveaux essais sur l'entendement humain*, Paris, Garnier Flammarion, 1966, p. 39.
 4. Locutio *Time's arrow*, i.e. « sagitta temporis », inducta est anno 1929 ab Arthuro Eddington, Anglo astrophysico.
 5. J. Needham, *La science chinoise et l'Occident, Le grand titrage*, Paris, Seuil, coll. « Point », 1977.
 6. Simonis Laplace opera maiora : *La mécanique céleste* (1799-1825) et *Exposition du système du monde* (1824).
 7. William James, *The Dilemma of Determinism in The Will to Believe*, New York, 1956.
 8. Citatum in opere K. Dutta et A. Robinson, *Rabindranath Tagore*, London, Bloomsbury, 1995.
 9. *A brief history of time*, Bantam Books, 1988.
 10. Structura dissipativa est locutio, quam creavit Ilya Prigogine.
 11. Ilya Prigogine, *La fin des certitudes*, Paris, Ed. Odile Jacob, 1996.

QVID CASSANDRA FIDELIS VENETA MVLIER DOCTA DE STVDIIS HVMANITATIS SENSERIT

– scripsit Paula Marongiu –

Cassandra Fidelis Veneta, quæ ætate qua litteræ restitutæ sunt in studia humanitatis strenue incubuit, est exemplum de eo quod in hac provincia, condicionibus adversis, mulieres facere potuerunt. Quoniam tantum sexui satisfaciendi et generandi instrumentum femina habita est, aditus ad studia semper difficilis fuit. Tamen sæculis XV et XVI in Italia et postea in Europa nonnullæ ad eruditionem, secundum rationem studiorum quod viri sibi ipsis statuerant, accesserunt. Agitur plerumque de feminis quæ amplo vel amplissimo loco natæ erant, ut ostendit ex gr. Elisabetha Britannia regina, quæ, Rogero Ascham humanista duce, non solum linguam Francogallicam, Italicam, Hispanicam, sed etiam Latinam et Græcam optime didicit. Mulier, quæ vitam studiis consecrare volebat, matrimonium respuere debebat et segregata domi ut santimonialis vivere. Præterea tempus studiorum paucum durabat. Tantum adulescentulæ actuosæ erant, aliæ iuvenes moriebantur, aliæ marito litteras relinquebant. Ex circiter triginta Italicis feminis doctis quattuor præstant: Isolda Nogarola Veronensis, Laura Cereta Brixienensis, Olympia Fulvia Morata Ferrariensis,¹ Cassandra Fidelis Veneta, quæ est argumentum huius scripti. Cassandra Fidelis, femina doctissima, non est tamen humanistria, quod non valuit, quod difficillimum feminæ erat, docere, nec studiis suis in quadam aula se sustentare. Tamen nonnulla quæ exstant exaravit, ita ut non solum fama sed etiam re de ea dicere possimus.

Opera eius quæ inveniri potuerunt recensuit et vulgavit anno 1636,² Iacobus Philippus Tomasinus Collegii Patavini sacræ theologiæ doctor, serius (anno 1641) Æmonia episcopus, vir qui Latine multa scripsit et composuit et etiam Lauræ Ceretæ litteras paulo post edidit.³ Sunt 123 epistolæ quarum nonnullæ sunt aliorum et tres orationes, quæ ei per multas transitiones pervenerunt.⁴ Hac editione magnæ feminæ ius reddere volebat, cuius nulla vestigia iam manebant.⁵ Digna quæ afferantur sunt etiam verba Gabrielis Nadei, Francogallici philosophi et eruditi, qui multis libris compositis et ultimo, Cassandræ dicato, Tomasinum valde laudat.⁶

Homines docti, qui ætate nostra in Cassandra inquisiverunt, sunt plerumque feminismi fautores quæ, præcipue a septimo decennio sæculi præteriti, conatæ sunt investigare, quam operam feminæ decursu temporum in cultum civilem contulissent.⁷

Tomasinus editioni suæ etiam vitæ narrationem subiungit, quæ adhuc ad Cassandram cognoscendam primus fons manet, e quo ego quoque hauriam.

Cassandra nata est Venetiis circiter annum 1465um.

Pater eius Angelus, mediæ classis vir linguarum peritus et in re publica Veneta administranda actuosus, auctoritate et ambitione, studia eius promovit et ipse, in primis litteris antiquis, educavit. Præterea præceptores vel duces, secundum eius verba, fuerunt Ioannes Fidelis avus philosophus et medicus et Nicolaus Francus avunculus, antistes Tarvisinus.⁸ Puella mirabilis 12 annorum Latinam et Græcam linguam, artem dicendi, historiam, paululum philosophiæ et auctorum sacrorum tenebat. Quod attinet ad philosophiam quæ aliquando difficilis intellectu ei fuit magistrum habuit fratrem Gasparinum Borrum theologum ea ætate eximium.⁹ « Animum etiam seriis intentum musica non raro demulcebat [...] et citharam summa omnium delectatione tangere frequenter audita est, ea ingenii præcelsa, ut blanda voce versus etiam extemplo numerosos adderet. »¹⁰ Fama doctissimæ et pulcherrimæ puellæ in Italia et in Europa magis magisque se diffundit. Orationes publicas et disputationes cum viris doctis Patavinæ studiorum Universitatis habuit, convivia cum viris doctis et poetis participavit, commercia epistularum cum humanistis inter quos cum Angelo Politiano,¹¹ cum Marco Antonio Sabellico,¹² cum Hermolao Barbaro¹³ instituit.

Rationem autem habuit cum hominibus amplissimo genere, inter quos cum Ludovico XII, Francogallorum rege, cum Isabella Casteliæ regina, cum Beatrice Aragoniensi, Hungariæ regina¹⁴ cum Beatrice Atestina et eius marito Ludovico Sfortia Mediolanensi duce.

Quoniam multas publicas orationes pronuntiavit, nata est fama eam Patavi e publico suggestu docuisse.¹⁵ Difficile erat feminæ studiis suis vivere. Anno 1488 tamen Isabella Casteliæ regina Neapolim ad aulam suam eam invitavit, sed Cassandra multis de causis hoc perficere non valuit. Ferunt in primis re publica Veneta vetante, quæ hoc prodigium amittere nolebat.

Ita anno 1499, 34 annum agens, ætate qua mulier fortuna in studiis iam uti non poterat, cuidam medico Ioanni Mariæ Mappellio, viro docto nupsit et ex illo tempore tantum private vixit. Maritum Cretam secuta est, cum quo feliciter ei data est copia docta colloquia pergendi. Post viginti annos Venetias revertentes, coniuges in naufragio omnia bona amiserunt. In patria Cassandra studia et amicos recoluit. Sed paulo post maritus et pater de vita decesserunt, sine liberis, et inopem eam relinquentes. Frustra anno 1521 a Leone X pontifice auxilium petiit.¹⁶ Verisimile est eam viduam commercia cum doctis viris et orationes etiam tunc habuisse, sed nullum testimonium manet.

Tantum cum iam octogenaria erat a Paulo III moderatrix orphanotrophæi S. Dominici creata est, cui

usque ad mortem præfuit. Anno 1556, 92um annum agens, re publica Veneta rogante, oratione Bonam Sfortiam Poloniæ reginam viduam salutavit. Post duos annos mortem obiit. Exequiæ sollemnes celebratæ sunt in ecclesia S. Dominici : corpus in lamina marmorea iacebat, capite lauro redimito, manibus libros dilectissimos tenentibus.

Operis eius *De ordine scientiarum*, scientiæ universalis compendii nihil scimus ; de aliis scriptis loquitur in epistulis, sed fortasse numquam ea exaravit, probabiliter in commerciis habendis et in epistulis scribendis occupata. Itaque tantum epistolæ et orationes, a Tomasino collectæ, exstant. Qua re iis niti debemus si investigare volumus quid Cassandra de studiis humanitatis senserit. Præmittere necesse est nihil extraordinari vel inauditi, vel novi in paginis eius inveniri posse. Sed re vera dicendum est humanistas clarissimos quoque sæpe eadem repetisse. Quod maxime nos movet est quod de femina agitur, quæ ut femina timida est, sed ingenio et doctrina sua conscia.

Tractationem meam in tres partes dividam, quarum prima inscribi potest *studia humanitatis bonis corporis sunt anteponenda*. Ut hanc partem enodem duos locos elegi ex duabus trium orationum quas habemus. Verisimile est eam permultas acroases dixisse, quod ea artem dicendi quam a pueris didicerat, optime callebat. Quod tanto maiore momento quod etiam humanistæ, studiis feminarum promptiores, ut Leonardus Aretinus, feminis publice loquendi nullis occasionibus oblati, in puellis instituendis artem dicendi excludebant.¹⁷

Incipiamus *Oratione pro Bertucio Lamberto*, anno 1487 habita¹⁸ cum Cassandra erat puella 22 annorum. Bertucius Lambertus est consobrinus qui doctor artibus liberalibus declaratur. Agitur de inflammata et acri defensione studiorum humanitatis mansurorum, cum regna et imperia corruant. Optimum exemplum sine dubio præbet imperium Romanum collapsum, quamvis eius cultus etiam cultus civilis nostri sit fundamentum. Sequitur laudatio « orationis », quæ « verbi » sensu intelligi debet. « Verbum » autem est cum intellectu, qui hominem a beluis seiungit, arte coniunctum. Hæc est notio perductoria Græcorum philosophorum, in primis Aristotelis, et Latinorum. Liceat mihi, inter permultos, locum Ciceronis afferre ex libro primo *De officiis* (II-12) :

« Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum quod adest quodque præsens est, se accommodat, paulum admodum sentiens præteritum aut futurum ; homo autem, quod ratione est particeps, per

quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque prægressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque præsentibus adiungit atque annectit futuras, totius vitæ cursus videt ad eamque degendam præparat res necessarias. »

Hoc cogitatum ab humanistis acceptum est, qui hominis magnitudinem fortiter et animose contendunt. Omnes profecto clarissimam orationem noverunt *De hominis dignitate* (1486), qua Picus Mirandulanus¹⁹ affirmat hominem qui ex animo et corpore constat, naturam angelorum et beluarum participare, ita ut tantum ipse possit, libertate usus, statuere num angelus an belua fieri velit. Qua re si rationem sequitur, homo vitam suam recte regit et res dominatur. Tum est digna quæ amplius explicetur alia sententia : « Oratio meliores facit civitates ». Nam studia, quæ facultates hominis augent et iure studia humanitatis appellantur, non solum ad vitam privatam, sed etiam ad rem publicam attinent. In loco Ciceronis quem antea attuli, etiam hæc verba invenimus : « natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et vitæ societatem ». Itaque, etiam hic Cassandra Ciceronis discipulam se præbet, cui adiungendi sunt Italici humanistæ prioris partis sæculi XV Coluccius Salutatus et Leonardus Aretinus qui, Florentinæ rei publicæ cancellarii, iis temporibus quibus litteræ nondum in turrim eburneam secesserant, litteras ipsas fundamentum politicæ libertatis esse censuerant. Hæc hortatio etiam hodiernis temporibus est apta. Nam si civitatum moderatores orationem loco armorum adhibent, inter se intelligunt, ita ut non destruere, sed aliquid boni construere et pacem firmare possint.

Sequitur laudatio philosophiæ, disciplinæ qua consobrinus enituit, qua fontes adhuc sunt auctores Latini et humanistæ. Quod Cassandræ cordi est, est philosophiam ceteras disciplinas superare, quod non res, sed hominem investigat. Certe philosophiam Græci invenerunt, sed Romani usum vitæ acriter vehementerque amplificaverunt. « Philosophia ad beate vivendum idonea artifex » est doctrina Ciceronis quæ totas *Tusculanas disputationes* (et scripta Senecæ) permeat. Ceterum venit in mentem Petrarcha quoque, qui, in *Invectiva contra medicum quendam* (1355) et in opere *De sui ipsius et multorum ignorantia* (1367-1371) inscripto, cum artes mechanicas ut medicinam, id est ad usum pertinentes, spernat, contra ad cælum artes liberales extollit vere humanas, quæ homini, ut melior fiat, auxilium præbent. Inde controversia cum Venetis philosophis Aristotelis sectatoribus orta est, qui rerum naturam, non hominem indagabant et qui Petrarcham, qui in hominem, non in rerum naturam incumbibat,

ignorantiæ accusaverant.

Studia, quæ maximum ornamentum suppeditant, est res multi laboris et sudoris ; nam qui se iis consecrare vult communibus vitæ voluptatibus renuntiare debet. Hoc facit consobrinus, hoc experta erat Cassandra ipsa, præsertim in philosophia discenda, ut in *Epistula* V (« Conqueror de ingenio meo. Cur inquires ? Nam vastum philosophiæ pelagus ingredi ausum est ») et in *Epistula* VII Philomuso (« Irascor interdum quoniam Aristotelea dogmata me percipi nolunt »),²⁰ clare fatetur.

In fine orationis apparet imago Patavi centri studiorum et cultus civilis et cogitatum studia veram immortalitatem conferre posse, quod sæpe apud antiquos et Italicos humanistas, præsertim apud Petrarcham, invenitur.

Quædam argumenta in oratione *De laudibus litterarum*²¹ redeunt, ante ducem Venetum et senatores rei publicæ fortasse anno 1490 habita. In exordio Cassandra affirmat, ut mos est, ingenium suum ad tantum argumentum aggrediendum aptum non esse ; agitur certe de usitata cuiuscumque oratoris modestia, sed hic videmus etiam metum et hæsitaciones feminæ quæ publice dicere debet. Itaque prima verba sunt Giorgio Vallæ, professori humanitatis,²² qui eam hortatus erat ut in publico diceret et qui, præsentia sua, eam honorat. Duæ sunt tamen causæ quod animum habuit in lucem prodeundi : conscientia virtutis suæ et spes immortalitatis adipiscendæ. Si quod de studiis humanitatis dicitur cum priore oratione comparamus, est quædam mutatio. Nam antea studia hominem a bestia secernebant, hic clare planeque affirmatur rudis homo non verus homo esse. Ita imperiti et indocti in vita, ut in tenebris procedentes, vitam suam moderari non valent. Inde necessitas homines a pueris educandi, ut vere compotes sui fieri possint.

Hoc cogitatum ætatem fingit qua litteræ renatæ sunt, sed est nobis omnino monitio ; nam debemus pueros et adulescentulos recte docere et educare, si volumus eos bene vivere in hac societate ubi rerum consumendarum immoderatio regnat, cum, orbe terrarum etiam atque etiam minore facto, in dies hominibus et mercibus sede sua amoventibus, pericula et mentis confusio magis magisque crescant. Cassandræ huius generis problemata certe non patebant, sed clarum erat fatum feminarum in tenebris ignorantæ vivere coactarum. Qua re in peroratione animose, experientia sua nisa, ius feminis defendit studia humanitatis adeundi. Opportunum est locum afferre :

« Sed de litterarum utilitate hactenus, quam non solum tam copiosa generosaque ; hæc pretiosa divina

seges affatim parit uberrimos, suavissimos ac perennes etiam fructus abunde offert quos quidem ipsa cum paulum degustarim, mecum reputarim in eam ultro abiecta atque execrata colo et acu mulierculæ armis procurri sententiam, etsi litterarum studia nulla feminis præmia nullamque dignitatem pollicerentur atque præstarent, fuisse tamen cuique capessenda amplectandaque, ob eam solam voluptatem, ac delectationem quæ inde eis cetera desiderantur. »

Sententia maximi momenti est « abiecta atque execrata colo et acu mulierculæ armis » : colus et fusus adnendum, acus ad suendum sunt instrumenta quæ solent puellis providere, ita ut sors earum iam definita sit. Cassandra audacter et contumaciter talem sortem recusavit. Scit pro dolor feminæ doctæ nullam spem præmiorum esse, sed sola voluptate tam diu in libris insudare operæ pretium esse.

Hæc in secundam partem nos introducunt, ubi *condicio feminæ doctæ ætate qua litteræ renatæ sunt* adumbrabitur. Cassandra visa est posse illam dignitatem litteris adipisci, id est munere humanistriæ in quadam aula fungi. Invitatio a regina Isabella, Casteliæ regina, anno 1488 venit. Quam testantur epistolæ Cassandræ et reginæ usque ad annum 1495um missæ. Impedimenta videntur a difficultatibus itineris, vel valetudinis procedere, vel, ut iam dixi, Venetæ rei publicæ interdictione Venetiis abeundi. In primam epistolam mentem erigamus : quod nos movet est dolor patriam et familiam relinquendi, sed ea parata est omnia hæc facere, ut optatum suum impetret, desiderium expleat, quod erat desiderium omnium humanistarum : apud potentes ætatem agere, ut ad studia totos se consecrare possent. Servitium cuidam regi vel principi libertatis deminutio non habebatur, quod vir doctus sine patrocínio vivere non valebat. Opera consociata principis, qui gratiam et copias ad vivendum suppeditat, et humanistæ, qui principem laudibus in scriptis suis extollit, principem et virum doctum gloria simul illustrat. Ita Cassandra bene scit – exemplum Petrarchæ et Politiani docet – solum sub umbra Isabellæ immortalitatem assequi se posse :

« Duo quippe in hac vita me immortalem ac beatam reddere posse arbitror. Alterum litterarum suave ac liberale otium, cui a tenella ætate perpetuo me dedicaram, alterum autem animum mentemque meam totam me denique tibi unice tradidisse, ut coram fortitudinem tuam ceterasque immensas virtutes contempler atque admirer. »²³

Quæ gloriæ cupiditas eam adhuc comitatur cum, nonagenaria, munere salutandi Bonam Sfortiam Poloniæ reginam functa est, quæ vidua, Polonia relicta, per Venetias transibat Barium novam sedem suam petitura :

« Ego vero, ut de me singillatim aliquid loquar, pro tui nominis celebrando gloria, quæ vel me tacente longe lateque pervagatur, totos ipsos vitæ meæ dies adeo libenter consumerem, ut nihil mihi gratius nihil optabilius posset contingere : non quod te ornamenti aliquid ex opera atque industria mea suscepturam arbitrarer, sed quia in te una exornanda sperarem fore ut ego quoque immortalitati commendarer. At ingravescens ætas ingenii mei vires imbecilles reddit, me ab hac laude iam diu rude donatam vel invitam avertit. »²⁴

Præter usitam rhetoricam nos movet spes immortalitatis cum laudibus reginæ coniunctæ, cui tristitia ætatis tam propectæ additur.

Cassandra, ut femina docta, magnam conscientiam doctrinæ et virtutis suæ habebat et cupiebat humanistria esse, id est docere et studiis suis se sustentare, immortalitatem consequi, quæ omnia humanistæ petebant.

Sed quomodo viri docti feminas doctas iudicabant ?
Huic rogationi breviter respondebo, ita ut tertiam partem scripti mei et simul propositum meum compleam. Cassandra commercia epistularum cum multis eorum habuit, qui omnes eam laudabant et a quibus laudes habere sperabat. Necesse est dicere hoc esse morem humanistarum. Cassandræ, ut feminæ, quæ pæne semper domi manebat, hæc commercia vita erant et etiam studiorum suorum remuneratio et beneficium. E commercio cum Angelo Politiano exstant epistolæ quæ mutua officia continent, ut excusationes pro tarditate epistularum et gratulationes et laudes. Elegi duas maximi momenti, anno 1494 exaratas.

Priorem legamus qui elogium Cassandræ continet.²⁵ Ex epistulis clarissimus philologus intellexit Cassandram vere doctam esse. Ille autem stupet quod epistulas huius generis puella scribere potuerit. Etiam hac occasione auxilium præbent antiqui qui docent naturam non impedire quin feminæ doctæ fiant ; ceterum servi quoque litteras attingere potuerunt. Ut clare videtur, Florentinus vir doctus feminas homines inferiores æstimat, quæ, cum aliquid, quod ad virorum provinciam pertinet, aggrediuntur, admirationem et laudes recte iusteque merentur. Eo magis quod ætate præsentis – sic Politianus censet – etiam perpauci viri doctrina caput extulerunt. Scilicet, auctoritate sua, quæstionem condicionis feminæ doctæ in societate non tractat et omina quæ epistolam concludunt pertinent

ad spem ut ea, parentibus relictis, maritum eiusdem virtutis inveniat. Pulchra verba præfert et quæ de elegantibus et subtilibus litteris profert, sunt temporari convenientia, quæ cuicumque puellæ mittere poterat. Sed prædicatio pro disserendi facultate est vera laus et comparatio cum Pico Mirandulano non comitatem et urbanitatem, sed admirationem veram ostendit :

« Philosophiam sic tenes, ut et defendas acriter quæstiones propositas et impugnes vehementer adeoque viris concurrere virgo, sic scilicet in doctrinarum stadio pulcherrimo, ut non sexus animo, non animus pudori, non ingenio pudor afficiat [...] Mirari equidem antea Ioannem Picum Mirandulanum solebam, quo nec pulchrior alter mortalium, nec in omnibus arbitror doctrinis excellentior. Ecce nunc etiam te Cassandram post illum protinus cœpi fortasse iam cum illo venerari. »

Iocundior est altera epistula.²⁶ Hic Politianus, forsitan curiositate Cassandram cognoscendi pulsus, Venetias ierat, eam visitaverat et cum ea collocutus erat. Puella scilicet sperabat eum illico et immediate epistolam scripturum esse, ut motus animi sui exprimeret. Sed Politianus respondere morabatur. Inde Cassandræ querelæ et excusationes Politiani. Et ille tandem, more suo, antiquis exemplis usus, a molestia se expedit, eleganter se defendit, paginam fictam componit. Puella, habitu et verbis pulcherrima, dea ei visa est, qua de causa, ut Æneæ accidit, cum Didonem in primo libro *Æneidos* videt, sine voce et verbis mansit, ita ut scribere non potuerit. Nobis scire non datur, quomodo Cassandra responderit, num pulchra excusatio feminæ satisfecerit necne, quod responsum eius non exstat. Sed ex hac epistula a maximo humanista illius ætatis scripta, clare patet, quo animo viri docti erga feminas doctas essent : illi doctrina, pulchritudine, iuventute, eas existimant et laudant, reverentiam domi præstant, sed eas tantum ut monstra, ut miracula, ut prodigia habent. In epigrammate ab Iulio Cæsare Scaligero ei dicato idem videre possumus :

Indagare valet nullum si femina verum,
Quod lateat gremio, consilioque Dei,
Nec genium celso naturæ educere cæli :
Numquam tu fueris femina, sed vir eras,
Sive uni dedit hoc divina potentia munus,
Hoc una ex cunctis femina munus habes.
Seu decus hoc, donumque Dei datur omnibus æque
Es Cassandra aliis omnibus una satis.²⁷

« Numquam tu fueris femina, sed vir eras » est maxima laus, sed plane ostendit feminæ doctæ in societate locum non esse. Itaque nulla copia ei præbebatur ut domo exiret et proposita sua ad effectum adducere posset.

Concludere mihi placet, versus afferens quos Cassandra de se ipsa panxit et sub effigiem quam Ianus Bellinius, cum 16 annos habebat pinxit, ascribi voluit, in quibus superbe et ferociter studia quæ artibus femininis et bonis corporis prætulit, defendit, quæ clarissimam ubicumque temporibus suis fecerant :

Calcavi quæ omnes optant, meliora secuta
Iam celebris passim docta per ora vagor
Bellinusque minor me priscis æmulus arte
Et vivis studio rettulit effigie.²⁸ ☪

1. Isolda Nogarola (1418-1466) epistulas, orationes, nec non *De pari et impari Evæ et Adæ peccato* dialogum (1441) composuit. Domi clausa virginitati et studiis per totam vitam se consecravit. Laura Cereta (1469-1499), vidua quindecim annorum, secundum matrimonium recusavit, epistulas scripsit. Olympia Fulvia Morata (1526-1555) Ioannis Calvinii sectatrix, Andræ Grundler nupsit, in Germaniam migravit, ubi epistulas, orationes, dialogos, carmina confecit.

2. *Clarissimæ Feminæ Cassandræ Fidelis Venetæ Epistolæ & Orationes Posthumæ. Numquam antea editæ*, Patavii, Prostat apud Franciscum Bolzettam, MDCXXXVI.

3. *Cereta Laura Brixiensis Epistolæ iam primum in lucem productæ e mss. a Iacobo Philippo Tomasino, qui eius vitam et notas addidit*, Patavii, typis Sebastiani Sardi, 1640.

4. Tomasinus ipse dicit illa scripta una cum duabus imaginibus Cassandræ a Leone et Paulo Leoniis Cassandræ ex matre pronipotibus antea possessa, postea partim ad nobilem virum Evangelistam Zagaliam Patavinum, partim ad Ioannem Baptistam Fichettum, cameræ ducalis cancellarium pervenisse, quorum uterque ei schedas perhumaniter communicavit. (TOMASINUS, *op. mem.*, pp. 45-46. Inde ex hoc tempore editio operum Cassandræ semper hoc modo designabitur).

5. Vide quod scripsit in opere Cyriaco Roccio Cardinali patrono suo nuncupando : « Latuit aliquandiu temporum iniuria ferme neglecta, rarum sui sæculi decus Cassandra Fidelis, digna cui (ut venuste Pindarus) ex labore melliti hymni fiant principia posteritatis sermonum », Ibi, p. 4.

6. Vide Gabrielem Nadeum (Gabriel Naudé Lutetiæ Parisiorum 1600-1653 Francogallicus vir doctus) qui Cassandram laudat et cum Sappho, quæ tamen minus pudica fuit quam ingeniosa, et cum Christina Parisina (Christine de Pizan Venetiæ 1362-1431) comparat, quæ Veneta in Francogallia vixit et Francogallice multa conscripsit. Tantum hæc memorabo : « Enim vero cum amarem te maiorem in modum de his singulis accessit etiam quo nunc te suspicium et admirer, Cassandra tua, quæ eo rectius a te in lucem e situ et

pulvere vindicatur, quod eius exemplo, quæ formam corporis et ingenii conspicabilem, summa cum honestate et perpetuo vitæ decore coniunxit, non minimum accedet momenti, contra Iuvenalem et alios mulierum osos, qui catas et ingeniosas feminas promptiores et acutiores esse arbitrati sunt ad struendas machinas, quibus viros suos decipiant. Ita enim hic liberrimus vitiorum censor 'Non habeat matrona tibi, quæ iuncta recumbit/ Dicendi genus, aut curtum sermone rotato/ Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes' » [IUVENALIS, VI, 448-450], Ibi, pp. 8-9. Ut patet, Nadeus, aliter ac Iuvenalis, feminas doctas amat, quæ tamen etiam pudicæ sint.

7. Ecce editiones operum Cassandræ nostræ ætatis : *Alessandra Scala to Cassandra ; Cassandra to Alessandra, Oration in praise of Bertuccio Lamberto, Receiving the Honors of the Liberal Arts, Oration in praise of letters, Oration to the Ruler of Venice, Francesco Venerio, on the arrival of the Queen of Poland*, Translated and edited by Margaret L. King and Albert Rabil Jr. *Her Immaculate Hand : Selected Works by and about the Women Humanists of Quattrocento Italy*, Binghamton, N.Y. Medieval and Renaissance Texts and Studies, 1983, pp. 87-88, 69-73, 74-77, 48-50. CASSANDRA FEDELE, *Letters and Orations*, Edited and translated by Diana Robin, Chicago, University of Chicago Press, 2000. De Cassandra scripserunt : MARIA PEDRETTINI, *Vita di Cassandra Fedele veneziana*, Venezia, Tip. di Giuseppe Grimaldo, 1852. CESIRA CAVAZZANO, *Cassandra Fedele : erudita veneziana del Rinascimento*, Venezia, Tip. Orfanatrofio di A. Pellizzato, 1907. Margaret L. King, *Thwarted ambitions : Six Learned Women of the Italian Renaissance*, « Soundings : An Interdisciplinary Journal », 59 (Fall 1976), pp. 280-304. MARGARET L. KING, *Book-Lined Cells : Women and Humanism in the Early Italian Renaissance Beyond Their Sex : Learned Women of the European Past*, New York, New York University Press, 1980, pp. 66-70. CARL C. SCHLAM, *Cassandra Fidelis as a Latin Orator*. Acta Conventus Neo-Latini Sanctandreami : Proceedings of the Fifth International Congress of Neo-Latin Studies (St. Andrew 24 August to 1 September 1982), Binghamton, N.Y. Medieval and Renaissance Texts and Studies, 1986, pp. 185-191. MARGARET L. KING, *Women of the Renaissance*, Chicago, University of Chicago Press, 1991. DIANA ROBIN, *Cassandra Fedele (1465-1558) Italian Women Writers : A Bio-Bibliographical Sourcebook* Edited by Rinaldina Russel, Westport, Connecticut and London, Greenwood Press, 1994, pp. 119-127. *Cassandra Fedele's Epistolæ (1488-1521) : Biography as Effacement. The Rhetorics of Life-Writing in Early Modern Europe : Forms of Biography from Cassandra Fedele to Louis XIV*, Edited by Thomas Mayer and Daniel Woolf, Ann Arbor, Mich. University of Michigan Press, 1995, pp. 187-203. LETIZIA PANIZZA, SHARON WOOD editors, *A History of Women's Writing in Italy*, Cambridge, Cambridge University Press, 2000.

8. Vide de Ioanne Fidei *Epistulam* LXVIII, TOMASINUS, *op. mem.*, p. 95 ; de Nicolao Franco *Invictissimæ Isabellæ Reginae Siciliæ Cassandra Fidelis Epistulam* IX, Ibi, p. 17.

9. *Magistro Stephano Ord. Serv. Cassandra Fidelis Epistula* XIV, Ibi, p.24.

10. Hoc affirmat Tomasinus, Ibi, pp. 25-26.

11. Angelus Politianus (Agnolo Ambrogini – Mons Politianus 1454-1494) clarissimus poeta et philologus Florentini humanismi, multa Italice scripsit ; Latine et Græce epigrammata composuit, inter opera philologica eminent *Miscellaneorum centuria prima* (1480) et *centuria secunda* tantum sæculo præterito mediante detecta.

12. Marcus Antonius Sabellicus (Marcantonio Cocci – Vicovarum in Sabina

1436-1506) humanista Venetus. Inter multa opera Latine conscripta digna quæ afferantur sunt *Historiæ rerum Venetarum ab urbe condita* (1487).

13. Hermolaus Barbarus (Ermolao Barbaro il Giovane – Venetiæ 1453/1454-1493) humanista, philosophus, legatus Venetus, inter alia in Universitate Studiorum Patavina Aristotelis opera moralia interpretatus est.

14. Beatrix Aragoniensis (1457-1508) Ferdinandi I Neapolis regis filia, ab anno 1475 Matthiæ Corvini Hungariæ regis uxor, renatas litteras artesque Budam inexit.

15. Hoc contendit Franciscus Sansovinus Venetus eruditus (1521-1586), sed Tomasinus fatetur se de hac re nihil dicere posse.

16. Vide *Beatissimo Pontifici Leoni X Cassandram Fidelem humilissimam servam Epistulam CXXIII* : « Sanctissime pontifex, vir meus mihi vita ipsa carior e vita digressus eo me dolore affecit, ut nisi inter assiduas lacrimas, suspiria, eiulatus versari delector. Heu quam intempesive, quam immature cuius obitu factum est, ut mortua ipsa inter vivos degam. Ea enim probitate, religione, doctrina pollebat, ut eiusmodi viro orbata nullam vitam relictam putem. In qua calamitate mihi tuo præsidio necesse, ut sub umbra alarum tuarum me protegas. Humiliter itaque depositis genibus, supplex tuam benignissimam sanctitatem oro, ut cum multæ innumerabiles potius in tua domo mansiones sint, quippe in cuius omnia sunt potestate collocata, aliquid eiusmodi, meisque, quorum numerosus, quidem numerosissimus est, contribuas, ut vitæ saltem, si minus dignitati consulere possimus », TOMASINUS, *op. mem.*, p. 191.

17. Vide Leonardum Aretinum (Leonardo Bruni Aretium 1370-1440) : « Mitius vero de hac postrema [id est de arte rhetorica] dixi, quoniam si quisquam viventium illi affectus fuit, me unum ex hoc numero esse profiteor ; sed multarum rerum ineunda mihi ratio est, & inprimis cui scribam videndum. Quid enim statuum subtilitates & epicherematum curæ, & illa quæ appellantur crinomena, & mille in ea arte difficultates mulieris intersunt, quæ forte numquam sit adspectura. Iam vero actio artificiosa, quam Græci apocrisin, nostri pronunciationem dixere, cui Demosthenes primas & secundas & tertias tribuit, ut auctori necessaria, ita mulieri nequaquam observanda, quæ si brachium raptabit loquens, aut clamorem vehementius attollat, vesana coerendaque videatur. Ista quidem virorum sunt ut bella & pugna, sic fori quæstiones atque certamina : non igitur pro testibus, neque contra testes dicere addiscet mulier, neque se communibus locis exercent, neque interrogationes bicipites, ac responsiones veteratorias meditabitur ; totam denique fori asperitatem viris relinquet », (*De studiis & literis illustri Dominæ Isabellæ Malatestæ Leonardus Aretinus s. p. d.*, in H. Grotii et aliorum dissertationes de studiis instituendis, Amstelodami, apud Ludovicum Elzevirium, A° 1645, pp. 414-431 : 420-421).

18. *Divæ Cassandræ Fidelis virginis Venetæ Oratio in gymnasio Patavino pro Bertucio Lamberto canonico Concordiensi liberalium artium insignia suscipiente*, TOMASINUS, *op. mem.*, pp. 193-201. Oratio Venetiis anno 1488 et Norimbergæ anno 1489 est vulgata.

19. Picus Mirandulanus (Giovanni Pico della Mirandola (Mirandula 1464 – Florentia 1494), mira memoria præditus, præter linguas classicas in linguam Iudaicam et in linguam Arabicam, in Cabbalam et in Aristotelicam et Platoniam philosophiam incubuit.

20. *Cassandra Fidelis Incerto Epistula V*, TOMASINUS, *op. mem.*, p. 7 ; *Philomuso Epistula VII*, Ibi, p. 10.

21. *Cassandra Fidelis De laudibus litterarum oratio*, Ibi, pp. 201-207.

22. Giorgius Valla (1442-1500), clarus humanista in multis urbibus et ab anno

1485 usque ad mortem Venetiis docuit.

23. *Epistula XI Invictiss. Isabellæ Reginæ Siciliae Cassandra Fidelis Epistula XI*, TOMASINUS, *op. mem.*, p. 18.

24. *Cassandra Fidelis Oratio pro adventu Sarmaticæ reginæ Francisco Venerio Vener. Principe*, Ibi, pp. 209.

25. *Angelus Politianus Cassandræ Fidelis Venetæ doctissimæ puellæ Epistula CI*, Ibi, pp. 155-158.

26. IDEM, *Cassandræ Fidelis Epistula CIV*, Ibi, pp. 160-161.

27. *Iuli Scaligeri in Cassandram Epigramma*, Ibi, p. 48. Iulius Cæsar Scaliger (Giulio Bordon Ripa Benaci 1484 - Agennum 1558) Italicus medicus et vir doctus in Francogalliam emigravit ; puri incorruptique Latine scribendi generis strenuus defensor, contra Erasmi *Ciceronianum* scripsit ; præterea *Poeticos libros septem* et *De causis linguæ Latinæ* opus composuit.

28. Versus affert Tomasinus, Ibi, p. 21.



DE LIBRIS CRVSTVLISQVE

– scripsit Daniel Blanchard Parisinus –

Nuper amicus quidam, nomine Daniel Maira, qui in Studiorum Universitate Americana Yalensi aliquot menses studiorum causa versatur, mihi misit recensio- nem lætam de bibliothecis illius urbis. Quam vobis Latine reddo non sine imaginibus, ut ea fruamini.



« Semper laudantur Americanarum bibliothecarum merita officiaque : mihi reapse videntur esse incomparabilia ! Mente fingere oportet, campum universitarium innumeris bibliothecis dotatum. Unumquodque collegium habet propriam, et sectiones facultatesque maximæ, sicut *Schola Legis*¹ et *Schola Divinitatis*.² Sunt tamen duæ bibliothecæ principales, quarum maxima nominatur *Sterling Memorial Library* et altera *Rarorum Librorum atque Manuscriptorum Beineckiana Bibliotheca*.³

Bibliotheca Sterlingiana ædificata est in specie ecclesiæ cathedralis neo-gothicæ (Latinius dicendum est : opere francigeno novo), in quam introitus patet per navem et theca librorum in choro reponitur ; sic librarii videntur sacerdotes libros tamquam hostias distribuentes. Pægmata, quorum accessus liber est, sunt in turri circiter quindecim tabulatorum, in quam amica mea Gabriella numquam ausa est ascendere : « illic posunt adesse viri pravi, quis scit ? ». ⁴ Libri non ordinati sunt secundum diem acquisitionis, sed secundum materiam suam : ambulare inter pægmata fit ex hoc non solum iucundius, sed etiam periculosius, nam de eadem re reperiuntur sæpe multi libri, etiam linguis exoticis conscripti. Statui ego non nimis diu inter pægmata ⁵ manere. Narrant locum remotum esse, ubi



conveniunt lectores, qui plus quam libros quærunt, sed « infernum » illud nondum inveni !

Non oportet mente fingere amplam lectionis aulam, sicut in Bibliotheca Nationali Francogalliæ (vulgo : BNF), sed multa parva « lectionis cubacula », ⁶ quæ varia genera documentorum accipiunt, id est, unum ad acta diurna legenda aptum, unum magnum ad periodica, unum ad novitates litterarias, unum pro investigatoribus universitariis, aliud pro iuvenibus alumnis. Unum vitium tamen habent cubacula lectionis : ita illic friget, ut domi cogar studere, ubi vix calidius est (vivo enim in pedeplanis).

Maxime differt a bibliothecis Europæis suppellex : sunt enim multa scamna atque sedes amplæ corio tectæ in quibus quiescere vel legendo incumbere licet. Studiosæ studiosique raro ad mensam operam dant, immo sedent in subselliis ac pedes ponunt in mensis humilibus. Scholastici ⁷ interdum adveniunt induti braciis athleticis ⁸ caligisque Sinensibus : ⁹ non omnes frigent iuvenes ! Modus vivendi illic parum severus est.

Intellexi me melius operam dare in Bibliotheca Inferiori, ¹⁰ id est scholasticorum, quia melius laboro in ædibus architecturæ hodiernæ... num inscium clericorum tædium impedit quominus in cathedrali, licet sæculari, dem operam ?

Denique Beineckiana Bibliotheca ¹¹ servat libros antiquos. Est perpulchrum ædificium : dum intrant, vident lectores totam collectionem rarorum librorum in immensa arca vitrea plurium tabulatorum. Circumire licet arcam et splendorem eius mirari ex imo superioribusque tabulatis. Spectaculum magnificum est, nam bibliotheca est una ex pulcherrimis hodiernis bibliothecis quam unquam vidi, ut vere dicam perfec-





tissima totius campi.

Non omnes certe libri inveniuntur in ea, ut putatis, sed apte elaborata est ratio commodandorum librorum inter bibliothecas, ¹² neque ultra quattuor dies oportet exspectare. Non tamen valeo dicere, qua in bibliotheca melius operam dem: bibliotheca Basileensis bene composita est, et supra omnia diligo Bibliothecam Nationalem Francogalliæ ¹³ propter collegas amicosque, quibus illic obvius fio.

In Inferiori Bibliotheca ¹⁴ convenio Aliciam famulam, quæ in caupona naturali ¹⁵ laborat, semper hilaris (o quam dissimile est in Bibliotheca Parisina!) et quæ semper utitur prænomine meo. (« Salve Daniel, quid agis hodie, bene, bene... »). ¹⁶ Numquam sinit me idem rogare: illic enim nemini licet non valere). Pro certo facetissima est, – ut puto – nam comica narrat, quæ raro intellego (aut dum me videt, rogat coram omnibus: « visne ius quoddam, Daniel? »). ¹⁷ Optima totius Novi Portus ¹⁸ illic adsunt crustula frumenti socolatæve: ¹⁹ valde generosa est Alicia, quæ interdum alterum dat gratis (hæc liberalitas, haud raro gratuita, non insolita est in Civitatibus Fœderatis, satis est alternis iungi sermonibus).

Inter nota dignos, est iuvenis ille, qui per horas in interreti visitat paginas conventibus amantium dicatas, iuxta ædium introitum; vel alumnus senior ille, qui legens in pegma replicat crus unum, quasi exercitationes elongationis efficeret: hunc heri denuo vidi!

Modus vivendi iucundissimus est: nemo miratur, quod agitur everriculum electricum horis apertis; studiosi alta voce colloquuntur nemine curante, aut se recludunt in parvis cellulis.

Computatrum unusquisque linquit incustoditum: satis enim divites sunt alumni ut non eis furandum sit, neque timeant, ne quis rapiat computatrum. Sunt autem aliæ regulæ. Die quodam, cum e bibliotheca exirem, publicata est lagœna vini mea, quam in pera tenebam. Non enim licet potiones afferre in bibliothecam, atque de alcoholi taceo. Inde scœnam magnam egerunt: rogaverunt numerum telephonicum meum, (die sequenti dux vigiliam Yalensium ²⁰ epistulam electronicam severissimam mihi misit) et cum vigil intellexit me illic officio fungi, dixit: « Agedum, an tu quoque? Tu hic officio fungeris, neque id scis? », ²¹ a tergo scholastici spectabant me quasi alcoholicum.

Moderantur bibliothecam iuvenes scholastici et homines rude donati, ita, homines ætate provectissimi,

qui apud nos iam diu pensione fruerentur (nec infelices hi videntur esse). Una ex eis loquitur, quasi me acciperet apud se (« Ave! Nunc claudimus ædes! Doleo! Sed cras aperiemus ab hora octava matutina! In proximum! »), ²² alius quidem ostendit imagines sui, more allecationis reginæ ²³ vestiti! His temporibus, libri maxime divenditi ²⁴ quos vigiles legunt agunt de vita Saræ Palin ²⁵ et Andreæ Agassi! ²⁶

In illo loco fere integros dies dego. Desiderabo bibliothecas usque ad horam secundam noctis apertas, res bene moderatas, et certe crustula Aliciæ.

Vale, Daniel scripsit in urbe Yale. » ❧❧

-
1. « Law School ».
 2. « Divinity School ».
 3. « Beinecke Rare Book and Manuscript Library ».
 4. « Ci possono essere dei tipi loschi, 'n si sa mai ».
 5. « Bookstacks ».
 6. « Reading rooms ».
 7. « Undergraduates ».
 8. « Training ».
 9. « Tongs ».
 10. « Bass Library ».
 11. « Beinecke Library ».
 12. Vulgo « Système de prêt inter-bibliothécaire ».
 13. BNF, « Bibliothèque Nationale de France », Lutetiæ Parisiorum sita.
 14. « Bass Library ».
 15. Vulgo « Cafeteria bio ».
 16. « Hi Daniel, how're you today? Good, good! »
 17. « Do you take a soup, Daniel? »
 18. New Haven.
 19. « Muffins » et « Cookies ».
 20. « Yale Police ».
 21. « C'mon, even you?! You are from the staff... You didn't know that? »
 22. « Hi! We are closing now! I am sorry about that! But tomorrow we are open from 8am. See you soon. »
 23. « Drag Queen ».
 24. « Best sellers ».
 25. Ista mulier, Sarah Palin, claruit in rebus politicis Americanis, pugnans contra Baracum Obama in diebus suffragiorum. Favet christianismo protestanti hodierno eique strictissimo, ne dicam fanatico, atque publicis subsidiis curavit instruendum hortum ludicrum educativumque, in quo Adam Evaque apparent iuxta dinosauros.
 26. André Agassi est famosus athleta, qui olim præmia multa accepit teniludii.

ITERVM DE INTERPRETATIONE HIERONYMIANA

DE HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS

– scripsit Iobannes van Kasteel –

Quid iucundius quam de textibus et vocabulis humaniter disputare? In *Melissa* præcedenti Ericus Palmén duos locos *Evangelii secundum Lucam* dignos meditati necnon plus minusve difficiles interpretatu proposuit; ex quibus priorem, fortasse maioris momenti, nunc iterum libet tractare, qui pertinet ad illa verba ab angelis dicta: ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας (II, 14), quæ Hieronymus ita vertit: « in terra pax in hominibus bonæ voluntatis ».

Numquam obliviscendum est *Evangelia* scripta esse ab auctoribus traditione Iudæa maxime imbutis, sive ipsi adhuc bene Hebræice loquebantur sive non.

Iam versio Græca *Veteris Testamenti* c.n. *Septuaginta* abundat Hebraïsmis.

Etiam in *Novo Testamento*, ut bene notum est eis qui linguam Hebræicam callent, plurimæ sunt elocutiones ex *Vetere* sumptæ quæ Græce versæ male olent neque semper faciles intellectui sunt; e.g. καὶ ἐγένετο καὶ (cfr *Ev. s. Luc.*, V, 1, 12, 17, passim), i.e. « et factum est ET », sicut Hieronymus litterate vertit (Hebræice וַיִּהְיֶה), in loco sermonis Latinioris « et factum est UT ».

Eodem modo vocabula ἀνθρώποι εὐδοκίας, per « hunc genitivum qualitatis ex uno vocabulo constantem », ut notat Ericus Palmén, Græce incongrua videntur; quæ litterate « homines benevolentiae », Latinius « homines bonæ voluntatis » sonant.

Hebræice tamen constructio huius generis vulgatissima est; e.g. אִישׁ דַּעַת (*is daat*), litterate « vir scientiæ », designat virum scientia plenum; אִשָּׁת חַן (*eset ben*), « mulier pulchritudinis », significat mulierem pulchritudine eximia; בֶּן חַיִל (*ben hail*), « filius fortitudinis », est homo corpore vel animo forti præditus; etc.

Præterea in tali constructione Hebræica prius nomen numquam articulo determinativo præceditur, ita ut melius intellegatur cur non scriptum sit ἐν τοῖς ἀνθρώποις εὐδοκίας, ut Ericus Palmén se exspectare fatetur, sed tantum ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας.

Ergo necessarium non est dubitare num in hoc loco vertendo dormitaverit ille Hieronymus linguæ Hebræicæ peritissimus; tanto magis quod ante Hieronymum Origenes iam locutus est de his verbis eodem modo intellectis, i.e. « in hominibus bonæ voluntatis » (cfr *Homilia super Lucam evangelistam*, XIII, 4).

Hæc ad constructionem explanandam sufficiunt. Sed quid de sensu elocutionis? Qui sunt illi ἀνθρώποι

εὐδοκίας? Agiturne de hominibus benevolentibus an, quod Ericus Palmén etiam minus accipere videtur, de illis « erga quos Deus bonam voluntatem habet », « qui favore eius gaudent », « qui Deo placuerunt »?

Imprimis respondendum est traditionem Hebræicam maxime elocutiones ambiguas amare et colere; id quod Modernis sæpe non placet. Sed sive displicet sive non, interpretationes traditionales semper hanc ambiguitatem indicant, explorant, explanant; ita ut in *Evangeliiis* quoque intellegendis re vera alienum sit coniti ut « obscuritas et ambiguitas nova interpretatione amoveri possint »!

Exemplo melius illustrabitur id quod dicimus. In *Evangelio secundum Iobannem* narratur Ioseph quidam esse « discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum (διὰ τοῦ φόβου Ἰουδαίων) » (XVIII, 38).

Vulgo creditur clam factus esse discipulus quia timeret Iudæos quibus odio erat Iesus.

Exstat autem interpretatio magis traditionalis: sicut in omni religione, distinguendum est inter eos qui discipuli videntur et eos qui re vera sunt; inter eos qui ritus publice et fideliter observant et eos qui occulte et sciendi amore mysteria experiri conantur.

Eodem sensu scripsit e.g. Origenes (*op. cit.*, XIII, 8): « Si audacter expedit loqui scripturarum sensum sequenti, per singulas ecclesias bini sunt episcopi, alius visibilis, alius invisibilis, ille visui carnis, hic sensui patens ». Alii doctores Ecclesiæ similia dixerunt.

In rebus traditis Iudæis solus ille æstimatur verus Iudæus (vel *verus Israel*) qui « metum Iudæorum », i.e. TIMOREM DEI vel INITIUM SAPIENTIÆ, expertus est. Hæc interpretatio alteram non solvit sed versiculo sensum maioris momenti tribuit.

Qui non obliti sunt grammaticæ Latinæ, bene memoria tenent locutionem « amor Dei » esse ambiguam!

Qua de causa non necessarie discutiendum est utrum « homines benevolentiae » solum sint ii qui bonam voluntatem in Deo habent an ii erga quos Deus bonam voluntatem habet. At alios locos scripturarum inspicimus paucos.

Vocabulum εὐδοκία vertit Hebræicum רַצוֹן (*ratson*), eiusdem sensus, i.e. « bona voluntas », « benevolentia ». In scripturis persæpe agitur de bona voluntate Dei; e.g. in versiculis sequentibus: « holocaustamata vestra non sunt accepta » (*Hier.*, VI, 20), litterate « non sunt

bonæ voluntati (*leratson*), scil. Domini ; « ut placatus eis sit Dominus » (*Ex.*, XXVIII, 38), aliter « ut bona voluntas (*leratson*) eis sit a Domino » ; « voluntas eius in his qui simpliciter ambulant » (*Prou.*, XI, 20), vel « benevolentia eius (*retsono*) (scil. Domini) eis qui sequuntur viam integram » ; « imple omne animal benedictione » (*Ps.*, CXLV, 16), rectius « largiris (o Domine) omni animali benevolentiam (*ratson*) » (ubi interpretes antiqui intellegunt : et tuam et suam !) ; etc.

Quod agitur de mysterio, clare indicat Paulus : « ut (Deus) nobis notum faceret sacramentum (μυστήριον) voluntatis suæ secundum benevolentiam (εὐδοκίαν) eius quam proposuit in eo (Christo) » (*Eph.*, I, 9).

Ericus Palmén ergo recte timet ne Deus « tantummodo hominibus benevolentibus aut iis, quibus ipse faveat, pacem donet, reliquos videlicet deserens et, quantum velint, inter se litigare et bellare patiens ». Sufficit totam historiam humanam usque ad tempus hodiernum inspicere ut ille timor verificetur.

Nam nullo modo timor tollitur versiculo quod Ericus Palmén sensus contrarii esse vult : « Evangelizo

vobis gaudium magnum quod erit *omni populo* » (*Ev. s. Luc.*, II, 10), quippe qui populus est « verus Israel », i.e. populus electus, populus iustorum, certe non plebs vulgaris !

Deus non est democraticus neque omnibus æquus. Hoc luce clarius iam scripsit Origenes (*op. cit.*, XIII, 4) : « Diligens scripturæ lector inquirat quomodo Salvator loquatur : ‘Non veni pacem mittere super terram, sed gladium’ (*Ev. s. Matth.*, X, 34), et nunc angeli in eius nativitate decantent : ‘super terram pax’ ! [...] Id quod additum est, hoc est quod post ‘pax’ dicitur : ‘in hominibus bonæ voluntatis’, solvit quæstionem. »

Ille doctor Ecclesiæ etiam addit (*ibid.*) alium versiculum ubi Iesus dicit discipulis suis solis : « Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis ; non sicut mundus iste dat pacem, ego do pacem » (*Ev. s. Ioh.*, XIV, 27).

Ubi hodie sunt illi homines bonæ voluntatis, i.e. veri discipuli Christi, qui pace eius fruuntur ? Mihi videntur esse et rarissimi et bene occulti, qualis ille Ioseph, « discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum ». ❧

DE DVOBVS LOCIS EVANGELII LVCÆ ITERVM EXAMINANDIS

– scripsit Godo Lieberg –

In *Melissæ* fasciculo die 20 m. Decembris a. 2010 (pp. 5-6) divulgato Ericus Palmén versus *Lucæ Evangelii* 2,14 et 2,17 docte tractavit. Liceat mihi opinionem meam de illis versibus aperire.

Primo loco legitur Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. Hoc enuntiatum Græcum Latine ita reddi potest : Gloria in altissimis Deo et super terram pax in hominibus benevolentiae. Genetivo qualitatis εὐδοκίας benevolentia significatur Dei erga homines. Ita genetivus in multis conversionibus recentioribus intellegitur, etiam in conversione Theodisca *Novi Testamenti Bibliæ Sacræ Hierosolymitanæ*, Friburgi Brisgoviae anno 1968 editæ. Palmén autem timet, ne εὐδοκίας « limitative », id est modo adhibito, comprehendi possit, quasi Deus tantum hominibus, qui ei placeant, non omnibus, pace donare velit. Sed etiam in versu 2,10, a critico pro eius opinione citato, quo legimus *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, Græce παντὶ τῷ λαῷ,

ut B. Prete (*Vangelo secondo Luca*, Mediolani 1961, p. 131, edito) demonstrat, de populo Hebraico solo agitur, non de omnibus populis. Considerandæ autem sunt litteræ Cardinalis Francisci Arinze ex urbe Vaticana ad præsides episcoporum totius orbis terrarum missæ die 11 m. Nov. 2006, quibus monet verbis Christi in Eucharistia instituenda (Mat. 26,28 et Mar. 14,24) περὶ πολλῶν et ὑπὲρ πολλῶν, Latine *pro multis*, non partem quandam hominum a salute æterna excludi, sed declarari salutem non ipsam donari et hominibus voluntate atque actis salutis adipiscendæ operam dandam esse. Interpretatio igitur *in terra pax, in hominibus (mutua) benevolentia*, a Palmén proposita, necessaria non est, id eo magis quod iunctura ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία in varia lectione nititur, quæ paucis codicibus confirmata minoris momenti est (confer ad rem conversionem Theodiscam citatam, p. 93). Argumentum quoque, quod collega noster ad interpretationem suam corroborandam adiungit, non mihi probatur. Saltem

enim formam ἀνθρώποις articulo τοῖς præcedi expectat. Sed id haud rectum esse videtur. Genetivus qualitatis et substantivum, a quo pendet, cum articulo coniungendi sunt, si homines vel res quasdam certas indicant. Uterque articulus deest, si utrumque substantivum in universum usurpatur. Hic autem εὐδοκίας articulum non habet. Neque ἀνθρώποις habet articulum.

Palmén opinatur quoque « mentionem explicitam » eorum, quæ pastores narraverant, postulandam esse ante enuntiatum (2,18) *Et omnes, qui audierunt, mirati sunt et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos*, sed id non fieri. Omissio autem narrationis pastorum brachylogia est valde usitata. Hic enuntiato supra citato narratio etiam clare simul auditur. Propterea facile omitti poterat. Nemini igitur omissio miranda est.

Alter locus examinandus est Lucas 2,17 ἰδόντες δὲ ἐγνώρισαν περὶ τοῦ ῥήματος τοῦ λαληθέντος αὐτοῖς περὶ τοῦ παιδίου τούτου, quem Hieronymus convertit scribens *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum est illis de puero hoc*. Recte Palmén censet γνωρίζω hic non *referre*, ut in omnibus, quod sciam, conversionibus recentioribus legimus, significare, sed *cognoscere*, Theodisce *erkennen*. Hieronymus reddit ἐγνώρισαν dicens *cognoverunt de...*, quod cum usu communi iuncturæ *cognoscere de...* in lingua Latina non consentit. Ibi enim ea aliquem certiore facere vel alicui nuntium adferre significat et in sermone iuris inquirere in aliquem vel in aliquid. Usus autem ab Hieronymo adhibitus iuncturæ dictæ a iunctura Græca γνωρίζω περὶ τινος clare differt. F. Montanari in *Lexico Græco-Italico*, Augustæ Taurinorum anno 2000 edito (p. 451), iuncturas γνωρίζω τι et περὶ τι et περὶ τινος omnes idem ac *conoscere*, Latine *cognoscere*, significare vidit. Unicum exemplum iuncturæ γνωρίζω περὶ τινος citat Aristotelis *Metaphysicam* 1037a16 περὶ τῆς ὕλης δεῖ γνωρίζειν τὸν φυσικόν, Latine materiam rerum naturalium studiosum cognoscere oportet. Hieronymus igitur usus iunctura *cognoscere de...* valde a iunctura Græca γνωρίζω περὶ τινος abhorret. Ergo Hieronymus scribens *cognoverunt de...*, ut ἐγνώρισαν περὶ reddat, monstrat se ad verbum textum Græcum interpretari hunc non bene comprehendentem. Sententia autem textus Græci perspicua est: Pastores (re)cognoverunt (ἐγνώρισαν) videntes Mariam, Iosephum, infantem in præsepio id, quod angelus eis de illis prædixerat.

Restat, ut explicemus, quid verbis περὶ τοῦ ῥήματος τοῦ λαληθέντος designetur. Omnes interpretes, quos novi, putant ῥήμα hic usurpatum eandem vim habere ac verbum. Credo autem eos in errore incidisse. Iam versu 15 Lucas utitur substantivo ῥήμα pro re Latina scribens καὶ ἴδωμεν τὸ ῥήμα τοῦτο τὸ

γεγονός ὃ ὁ κύριος ἐγνώρισεν ἡμῖν (participium γεγονός demonstrat ῥήμα idem esse ac rem, γεγονός enim relatum ad verbum absurdum est). Sequitur interpretatio Latina: et videamus hanc rem, quæ facta est, quam dominus, scilicet Deus, nobis notam fecit. His verbis evangelista se refert ad visionem angelorum pastoribus versibus antecedentibus narratam. Nihil impedit, quominus etiam versu 17 ῥήμα pro re, non pro verbo, usurpetur. Quod attinet ad usum verbi transitivi λαλεῖν, quem versu 17 invenimus, is apte ad ῥήμα pro re, non pro verbo, dictum pertinet. In *Epistula prima ad Thessalonicenses* (2,2) λαλεῖν etiam ad rem quandam spectat. Nam apostolus Paulus de se narrat: λαλῆσαι πρὸς ὑμᾶς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ ita λαλεῖν etiam ad rem, scilicet ad εὐαγγέλιον referens. Nisi fallimur, Hieronymus versu 17 ῥήμα verbo, non re, convertens et scribens *cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis pro de re, quæ dicta erat illis*, textum Græcum male intellexit.¹ Propterea, ut interpretatio eius falsa in textu et conversionibus et commentariis *Bibliæ* corrigatur, magnopere omnibus, penes quos iudicium et potestas est, commendamus. ☩

1. Prete, *op. cit.*, p. 136, explicat ῥήμα pro re positum Hebraismum esse, qui dicitur, quia *dābār* in lingua Hebraica et verbum et rem significat. Ut facile intellegitur ratione habita contextus, verbum λαλεῖν imprimis hic vim adnuntiandi habet. Adnuntiare autem spectat ad rem, non ad verbum, quod adnuntiarum non potest. Quod pertinet ad ῥήμα pro voce Hebraica *dābār*, hic Hebraismus confirmatur usu vocis λόγου apud Lucam pro verbo. Is enim in prologo evangelii (1,2 et 4) habet iuncturas ἀυτόπται καὶ ὑπρέται τοῦ λόγου (testes et ministri verbi) et λόγων τὴν ἀσφάλειαν (verborum firmitatem). Lucas igitur distinguit inter ῥήμα dictum pro re et λόγους dictos pro verbis.

Hebraismus, de quo locuti sumus, invenitur etiam in Vetere Testamento Septuaginta appellato. Ita Genesi 15,1 legimus Μετὰ δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα ἐγενήθη ῥήμα τοῦ Κυρίου πρὸς Ἀβραμ, in Vulgata *His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram*. Contra in textu Græco vocabulum ῥήμα bis usurpatur. Genesi 22,1 legitur μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, in Vulgata *Quæ postquam gesta sunt*. Deuteronomio 2,7 scribitur οὐκ ἐπιδείθη ῥήματος, in Vulgata autem *et nihil tibi defuit*. Interpretes igitur Septuagintæ semper verbum Hebraicum *dābār* verbo Græco ῥήματος convertunt. Contra interpretes Vulgatæ, fortasse Hieronymus ipse, ῥήμα pro re positum pluribus verbis exponunt, pro verbo autem positum vocabulo sermonis reddunt. Ita legentibus Vulgatam textus perspicuus erat. Id autem legentibus Septuagintam non obtigit, quia linguæ Hebraicæ imperiti Hebraismus, scilicet duplicem vim vocabuli ῥήματος, non bene comprehendere poterant. Alii loci, quibus ῥήμα reddit *dābār* et pro re usurpatur, sunt Exodus 2,14; Reges 2,2,6; 2,11,27; 3,11,41. Cf. A. Blaise, *Dictionnaire Latin-Français des Auteurs Chrétiens*, Turnhout 1954, p. 842 (« l'hébr. *dābār* parole ou chose »).

DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (XIII)

FASTIGIVM IMPERII BYZANTINI

– scripsit Gaius Licoppe –

Trucidato Nicephoro II Phoca, **Iohannes I Tzimiskes** (969-976) se ipsum proclamat basilea, favente exercitu, sed patriarcha Polyeuctus impedit ne in Sancta Sophia coronetur, nisi iurando affirmet se Nicephori occisionis participem non fuisse noxiosque puniturum esse, Theophanam in exilium relegaturum ac propria bona pauperibus distributurum. His sedule factis, Iohannes uxorem ducit Theodoram, sororem Romani II, cuius duos filios Basilium II (970-1025) et Constantinum VIII (970-1025) throno consociat. Iohannes I Tzimiskes in maximam gratiam venit apud clerum et populum.

In regionibus Balcanicis Russos vincit apud Arcadiopolin (970) eosque expellit e Bulgaria, cuius parte orientali potitur.

In Oriente apparent novi hostes ; stirps enim Fatimidarum, quæ initio in Africa septentrionali regnat, anno 969 Ægypto potitur, quæ ei fit nova sedes ; inde in Syriam irrumpit. Anno 970 Antiochia obsidetur, sed frustra. Basileus discordia utens inter Fatimidas Siitas et Syriacos Sunnitas, non solum resistere valet, sed expeditionem mittit, quæ Hierosolyma expugnet ; exercitus infeliciter perit in insidiis. Postero anno iterum victor evadit in Syria et Mesopotamia.

Melius commercium cum Imperio Occidentali habet, quam Nicephorus ; nam anno 972 eius neptis Theophano Skleraina nubit imperatori Ottoni II (967-983).

Bellare pergit in Mesopotamia, ubi potitur Amida et Nisibe ; Syriam in dicionem suam redigit ; irrumpit in Palæstinam, ubi potitur Tiberiade, Nazareth, Aca, Beryto, Cæsarea Maritima et monte Thabor ; iam non longe absunt Hierosolyma, sed desunt opes ad bellum producendum. Constantinopolin rediens, subito ægrota et moritur.

Basilium II, Bulgaroctonus cognominatus (970-1025), throno iam consociatus est ab anno 970 ; filius Romani II et Theophanæ non est vir eruditus, sed potius miles, qui maiorem temporis partem apud exercitum degit nec bellare desinit. Eius regnum 49 annorum longissimum est totius historiæ Imperii Orientalis.

Initium regni est difficile. Cum obit Iohannes I Tzimiskes, duo Romani II filii, Basilium II et Constantinus VIII, iam sunt coronati, sed Basilium II, maior natu, tantum 18 annos natus est, quare eorum magnus patruus, Basilium Lecapenus, gubernat. Sunt tamen invidiosæ optimatum familiæ, quæ conentur sive aliquem suorum Lacapeno substituere, sive ipso throno potiri. Sequuntur tredecim anni belli civilis, quibus valde debilitatur Imperii auctoritas ; Arabes, Bulgari necnon Otto II in Italia hac debilitate utuntur.

Tunc Basilium II, instante periculo, rem publicam curare incipit ; Basilium Lecapeno in monasterium relegato, solus gubernat, cum fratris Constantini VIII regimen participare non intersit. Basilium II auctoritatem agnoscere nolunt nonnulli strategi Asiæ thematum ; astute et auxilio sex milium Varangorum¹ a Magno Principe Kioviensi, Vladimiro I, missorum eos vincere valet (988). Ex his sex milibus militum creat Custodiam Varangianam (Γάγµα τῶν Βαράγγων) ; hi Varangi, altæ staturæ, terribilibus securibus armati, efficacissimi erunt in bellis subsequentibus.

Basilium II est bonus ærarii administrator ; propter multas expugnationes prædasque reportatas ærarium locupletat usque 200 milia librarum auri, præter permulta ornamenta et res pretiosas in labyrintho conditas.

Anno 989 Constantinopoli fit terræ motus, quo complures mœnium turres et nonnullæ ecclesiæ delentur ; Sanctæ Sophiæ tholus quoque ruit, qui sine mora restauratur.

Basilium II se etiam rebus religiosis immiscet. Vergente suo regno, Romam ad papam Iohannem XIX (1024-1032) cum sumptuosis donis mittit patriarcham Eustathium (1019-1025), qui petat ut Ecclesiæ regimen dividatur inter Occidentem a papa Romano et Orientem a patriarcha œcumenico Constantinopolitano rectum ; obstantibus vero proceribus Occidentalibus, papa initio favens negare cogitur.

Maximam famam Basilium II sibi parit in rebus bellicis ; in quattuor regionibus bellum valet feliciter gerere ; pergit enim agrum Arabibus eripere ; Imperii fines extendit in regiones Caucasi et Bulgaros præsertim in perpetuum domat non sine difficultate. Huius certaminis nimis multæ sunt vicissitudines, quam ut omnes hic narrentur ; præcipuæ tantum citantur.

Duce Samuele I (997-1014), dum Byzantini bello civili impediuntur, Bulgari potentiam restituunt et in Græciam irrumpunt (986). Basilium II eos aggreditur, sed vincitur. Spem tamen non deponit et bellum renovat.

Anno 996 Bulgari magnam cladem accipiunt ad rivum Sperchium. Ab anno 1000 Byzantini in Bulgarorum fines progrediuntur. Ad eos distinendos Samuel I impetum inopinanter facit Hadrianopolin, quam expugnat et crudeliter diripit ; in reditu tamen profligatur. Ab anno 1005 fines regni Bulgarorum valde coartati sunt ; præter regiones montanas, vix superest ager. Anno 1014 fit ultimum magnum proelium ; Bulgari maximam cladem accipiunt apud Kleidion ; fama fert 15 milia eorum militum capi atque modo terrifico tractari ; omnes enim obcæcantur præter 150, qui lusci facti singuli centum cæcos domum reducut. Samuel I mæstitia confectus paulo post moritur.

Bulgari quattuor annos resistere pergunt ; anno 1018, eorum ultimo rege Iwan Wladislav in proelio necato, Basilius II totam Bulgariam in ditione sua tenet. Tandem Imperii limitem ad Danuvium restituere valet et, Constantinopolin reversus, triumphum celebrat.

In Italia meridionali, Barii, Langobardi anno 1009 rebellionem incohant contra dominos Byzantinos ; a mercenariis Normannis adiuti, Byzantinos compluries vincunt ; isti tamen, arcessita Custodia Varangiana, eos anno 1018 Cannis profligant, ipso loco, ubi Hannibal Romanos devicerat. His successibus non contentus, Basilius II anno 1025 statuit Sicilia potiri, cum ibi sint latebræ piratarum Saracenorum Italiam proelio continue lacescentium. Messana a legato iam capta, cum exercitum per Italiam meridionalem ducit, mortem obit.


Conversio principatus Kioviensis ad christianismum tempore Basili II facta effectus maximi momenti postea habebit. Iam anno 958 principissa Olga, cum Constantinum VII Constantinopoli visitavisset, christiana facta est. Basilius II bonam consuetudinem iungit cum principe Vladimiro, qui principissam porphyrogenetam uxorem ducere cupit ; ei tunc suadet ut christianus fiat ; itaque ille non solum anno 989 baptizatur, sed etiam toti suo populo christianismum imponit. Sic fit ut principatus Kioviensis imprimis, tota Russia postea imbuatur cultu Byzantino sibi que assumat orthodoxiam, artes et mores Constantinopolitanos.

Antequam Basilius II relinquamus, oportet aliquid dicere de Venetiis, quorum potentia tunc crescit.

Basilius II, qui Venetias habet ut vassalam, anno 992 pactum cum eis facit, quo ex una parte telonia eis in Imperio imposita minuuntur atque ex altera debent suam classem præbere quotiens Basileus copias in Italiam exponere velit. Præterea anno 1004 Venetii classem mittunt, qua Barium a Saracenis obsessum liberatur. Ad gratias agendas, Basilius filium Ducis Petri II Orseolo sinit Constantinopolin venire, qui patriciam uxorem ducat. Nova potestas maritima nata est in mari Hadriatico. ☪

1. Varangi sunt pars Vikingorum orientalium, qui e Scandinavia secundum fluminum valles per hodiernam Russiam usque ad regiones Balcanicas progressi sunt. Regnum ordinatum anno 862 creant, cui nomen Rus'Kioviæ vel Principatus Kioviensis vel Ruthenia ; est origo hodiernæ Russiæ. Eorum subditi sunt Slavi. Vladimirus I pro sex milibus militum ad Basilius II missis exigit Annam, Basilius II sororem, quam ducat porphyrogenitam uxorem ; se tunc ad christianismum orthodoxum convertit et anno 988 baptizatur ; hanc novam religionem populo imponit.

N.B. In præterita symbola, 'Melissa' 159, p. 14, l. 19, loco « undecimi » legendum est « noni ».



Fines Imperii Orientalis anno 1025 ; numquam tam extenti fuerunt a tempore Iustiniani.

1. Roma, 2. Neapolis, 3. Barium, 4. Tarentum, 5. Ravenna,
6. Venetiæ, 7. Candia, 8. Constantinopolis, 9. Antiochia, 10. Mantzikert.

TRILINGVE CALENDARIVM PARIETALE ANNI MMXI

- annuntiat Ericus Palmén -

Vidistisne umquam calendarium parietale, in quo singuli menses suis versibus trilinguibus ornati essent? Tale calendarium huius anni MMXI, anno proxime præterito (MMX) paullatim confectum est atque Granivici sive in urbe Jyväskylä, quod caput est Mediæ Finniæ, inter sollemnitatem *Athenis Finlandiæ* nuncupatam exeunte mense Augusto in lucem prolatum. Photographematis calendarii mirabilia selecta huius urbis et circumiectorum eius illustrantur. Forsitan quærat quispiam, cur versus tribus linguis – Latine, Finnice, Anglice – compositi sint. Manifesta est causa. Calendarium tribus generibus utentium est destinatum: I) ante omnia amicis vivæ Latinitatis, ut videant gaudeantque hanc linguam hodie quoque pro instrumento communicandi optime adhiberi posse, II) Finnis linguarum peregrinarum ignaris, qui, licet Latine nesciant, tamen hanc linguam magni æstiment, ut cuius ope iam sæculo p.Chr.n. duodecimo Finnia una ex terris orbis culturalis Europæi facta sit, III) peregrinis nec Latine nec Finnice scientibus, quo clarius videant etiam in hodierno mundo globali linguam Anglicam, licet universale sit instrumentum communicandi, alias linguas minus usurpatas libenter iuxta se pro comitibus habere.

In versibus calendarii elaborandis collegæ mei Latinitatis periti Maija-Leena Kallela et Teivas Oksala et Tuomo Pekkanen et Joonas Ilmavirta me adiuverunt. Nonnulli illorum versuum ex operibus ipsorum poetarum Romanorum desumpti sunt. E.g. Versus mensis Ianuarii *Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus?* apud Ovidium invenitur (Fasti I 149). Versus mensium Martii et Aprilis et Septembris Horatius nobis suppeditavit: Od. I 4, 1 *Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni*, Od. IV 7, 1 *Diffugere nives, redeunt iam gramina campis*, Od. II 5, 11-12 *Distinguet autumnus racemos / purpureo variis colore*. Ex his ultimis versibus priorem leviter retractavimus: præsentis temporis forma *distinguit* pro futuro Horatiano *distinguet* usi sumus. In calendario enim referri oportet, quid hic et nunc agatur; Horatius autem in illo carmine futurum præfert, quia adolescentem quendam sibi notum, qui avidissime cum amica sua in medias res procedere velit, allocutus monet hanc nondum ad id paratam esse; autumno demum racemos maturos fore. Versum mensis Maii in mediævalibus Carminibus Buranis reperimus.

Quod ad reliquos menses attinet, cum nusquam in litteris Latinis versus ad singula photographemata apti præsto esse viderentur, ipsi venam nostram poeticam consulere sive poetarum partes agere conati sumus. Mense Februario *sic trabibus pandis peragratur silva nivalis*. Constat quidem Romanos antiquos « trabibus

pandis » silvas nivales numquam peragravisse; sed historicus mediævalis Saxo Grammaticus in opere suo *Gesta Danorum* (V 13) de quibusdam hominibus septentrionalibus narrat, qui « pandis trabibus vecti conferta nivibus iuga transcurrunt ». In versu mensis Iunii cantu Finnico *Dies æstivus Kangasalaensis* inscripto usi sumus: in stropha tertia eius sunt duo versus, quos Latine ita reddidimus: *Amoris fervore nostri bos lacus lucere sinas!* Ad Decembrem mensem aptissimus exstitit versus primus cantionis nostræ Nataliciæ admodum notæ, quem Tuomo Pekkanen iam pridem ita « latinizavit »: *Abies est decorata, scimus festum adfore*.

Denique facere non possum, quin commemorem in calendario nostro ultimam septimanam integram mensis Augusti peculiariter signatam esse, ne quem eorum, qui eo utentur, prætereat illa septimana rursus sollemnitatem *Athenis Finlandiæ* institutum iri atque universos studiosos eius tum apud nos gratissimos fore hospites. ☞



Helmiön rastauspaikka Jyväskylässä - Jyväskylän lehterästä - Ski track rest area of Jyväskylä

HELMIKUU - FEBRUARIUS - FEBRUARY

Aaanaankal Lunae dies Monday	Tiistai Martis dies Tuesday	Keskiviikko Mercurii dies Wednesday	Torstai Iovis dies Thursday	Perjantai Veneris dies Friday	Lauantai Saturni dies Saturday	Sunnuntai Solis dies Sunday
	1	2	3	4	5	6
	Ritza	Jenny, Lari, Anni	Wai	Anni, Riina	J.L. Rautavaara, Jussi Aho	Taru, Teija, Tia
7	8	9	10	11	12	13
Wai	Lari	Kalle, Sanna	Elina, Eira, Olli	Sanna	Eira	Salla
14	15	16	17	18	19	20
Hilja, Jussi, Wai, Teija	Taru	Kari	Wai, Kalle	Kalle	Eira	Mari, Heikki, Hanna
21	22	23	24	25	26	27
Wai	Taru, Wai	Anni	Matti, Hanna	Teija, Teija	Hanna	Taru
28	1	2	3	4	5	6
Kalle, Wai, Olli						



In hoc fasciculo !

De certitudinum fine [G. Licoppe] p. 1
*Quid Cassandra Fidelis Veneta mulier docta
de studiis humanitatis senserit* [P. Marongiu] p. 3
De libris crustulisque [D. Blanchard] p. 9
De hominibus bonæ voluntatis [I. van Kasteel] p. 11
De duobus locis euangelii Lucae iterum examinandis [G. Lieberg] p. 12
De Romano imperio orientali (XIII) [G. Licoppe] p. 14
Trilingue calendarium parietale anni MMXI [E. Palmén] p. 16

Imago tegumenti : Alciati Emblematum Liber, 1531.

LATINE LOQVI...

CONVENTICVLA PROF. TERENTII TVNBERG

Dickinsoniæ in civitate Pennsylvania, d. 5-11 m. Iulii 2011.

Lexintoniæ in civitate Kentukia, d. 21-29 m. Iulii 2011.

✉ terence.tunberg@gmail.com

CONVENTICVLVM LATINVM VASINTONIENSE

Aquis Albis, d. 2-8 m. Iulii 2011 ; sessiones præparatoriæ duobus diebus ante.

✉ <http://commons.wvc.edu/sberard/boreoccidentales>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 20-27 m. Iulii 2011.

✉ www.friquolet.com

S.A.L.V.I.

Rusticatio Virginiana, 9-16 m. Iulii 2011.

✉ <http://www.latin.org>

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminarium Ottiliense 18-23 m. Iulii, Trevericum 7-13 Aug. 2011.

✉ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de>

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 30 m. Iulii - 6 Aug. 2011.

✉ <http://www.septimanalatina.org>

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539



MELISSA